

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive
Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV**

Weidenfeld, Johann S.

Londini, 1684

XXIV. Menstrua mineralia composita ex Menstruis mineralibus & Menstruis
Vegetabilius in vicem commixtis

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

XXIV. G E N U S.

Menstrua mineralia composita ex Menstruis Vegetabilibus & mineralibus invicem commixtis.

143. Ignis Vegetabilis solutus in Aqua calcinativa Lullii,

P. 363. Magiæ Naturalis.

R. **A**QUÆ Vegetabilis acuatæ (*anima metallicæ Lullii sub No. 5. descriptæ*) unciam unam, pone in Ampulla cum collo longo, in quam posueris uncias tres Aquæ calcinativæ (*menstrui mineralis sub No. 68. descripti*) & subito cooperi Ampullam cum suo coopertorio, & bene claude cum cera, & bene colloques intrâ balneum per duos dies naturales, & in illo tempore totum Vegetabile erit conversum in Aquam claram.

Animadversiones.

A Depti variè acutum reddidère Vini phil. spiritum, istumque in varia redegère Menstrua tam Vegetabilia quam mineralia in antecedentibus: Jam in hoc Menstruorum vicesimo quarto & omnium ultimò Genere, non uti in supradictis Menstruorum compositionibus communia commiscuere vel oleosa, vel Arida, vel Acidâ unctuosò Vini philosophici spiritui, sed Menstrua Vegetabilia & mineralia modo perfectâ conjungere ut Menstrua hujus Generis conficerent. Simile ferè Menstruum componitur à Lullio quod dicitur,

144. Cœ-

144. Cœlum vegetabile solutum in
Menstruo minerali Lullii,*Pag. 59. Testam. Novissimi.*

R. **M**enstrui fatentis (*sub No. 99. descripti*) libram unam, adde libram unam, vel dimidiam, quod sufficit, Aquæ Vitæ summè rectificatæ & acuatæ cum sale Tartari (*sub No. 17.*) vel Vini (*phil. sub No. 30. descriptæ*) sublimate. Et teneas vas in manibus, & non ponas in Terra, nec alio loco, donec cessaverit furor (*ebullitionis*) & est commixtio Vegetabilis cum Minerali; sigilla cum cera, & permitte per diem, postea in Balneo pones per duos dies, & destilla in cinere, & habebis Aquam limpidam & clarificatam, ponderosam, tunc pone illam in vase Circulationis optimè sigillato per sedecim dies in Balneo convenienter donec redeas, & videas Aquam bene unitam, & in fundo vasis ad modum salis cristallini. Serva eam.

Idem Menstruum sed variato pondere confecit alibi; in antecedenti ad Menstrui fatentis partem unam, addidit Menstrui Vegetabilis partem semis; in sequenti plus Menstrui Vegetabilis recepit quam mineralis.

145. Glacies ex Menstruis Vegetabili
& minerali composita Lullii,*Pag. 68. Testam. Noviss.*

R. **D**E G. minerali sive Menstruo fatenti uncias tres & de Aqua vitæ rectificata & acuata cum sale Tartari uncias quatuor, ponas simul in uno vase, & destillabis in B. per novem vices, & in isto tempore convertetur totum in unione una, sicut gelu aut glacies.

Ripleus Menstruorum Vegetabilium & mineralium commixtionem hac peregit methodo.

146. Aqua

146. Aqua mirabilis Ripley,

Pag. 212. Philorcii.

R. **T**artarum calcinatum album sicut nix est, & tere super Marmor, & incera cum Aqua vitæ fortificata cum suis speciebus ut præmittitur (*cum Menstruo sub No. 8. descripto*) donec sit ut pasta tenuis: Tunc pone in vase circulatorio, & rota Aquam donec in Tartaro penitus siccetur; tunc reïtera idem opus, & sic continua, donec exhauserit de aqua in pondere duplam sui partem & quantitatem, quo factò ponatur Tartarus tritus super lapidem vel suspendatur in sacco lineo, & supponatur vitrum ad recipiendum ejus stillicidia, & hoc fiat in loco subterraneo, donec totus Tartarus destilletur in Aquam claram, ex qua post destillationem & coagulationem fit sal mirabile & Naturæ, quod Philosophi vocant sal petrae & sulphur incombu- stibile (*proprie sal Tartari volatile*) quod figit omne Argentum vivum. Ut autem habeas perfectam Aquam vitæ (*pro hoc opere requisitam*) pone Vinum (*philos.*) in Circulatorio per centum dies, ut rotetur cum suis speciebus, & tunc extrahe ex eo Aquam vitæ (*menstruum sub No. 8.*) quæ excellit in gradu bonitatis omnes Aquas Mundi. Operare cum ea super Tartaro ut dictum est & aqua inde creata vocatur Ignis infernalis (*vide Acetum acerri- mum Ripley sub No. 23.*) quia si tantum apponas de sale armonia- co sublimato quantum de Tartaro, unum stillicidium illius post ejus perfectionem, interficit subito cancerum in carne hominis, & si deguttetur super manum penetrat eam, & solvit omne cor- pus. Absque hac Aqua parum proficimus in hac arte, & qui hanc Aquam habuerit, de artis complemento nullatenus dubitabit. Hæc autem Aqua fortificatur in duplo, si æqua portio illi adda- tur de spiritu minerali, qui est Aqua acuta philos. (*Leo viridis Ripley sub No. 59.*) & post super Tartarum & super sal armonia- cum usque ad spissitudinem circulatur, & postmodum solvitur in Aquam claram. Quod si fiat erit aqua ista omni auro incompa- rabilis & unum de mirabilibus hujus mundi.

Aliquando loco Menstruorum Vegetabilium Menstruis minerali- bus commiscuere sal Harmoniacum Vegetabile. Ita,

147. Men-

147. Menstruum fætens sale Harmoniaco acuatam Lullii,

R. **D**E G. Vegetabili (*de Mercurio sive sale Harmoniaco Vegetabili*) unciam unam, & pone in Phiala vitrea longi colli, in qua prius posueris uncias tres de E. (*Menstruo fætente sub No. 67.*) & statim obstrue, ut nihil respiret, cum suo operculo, & cum cera communi bene sigilla & postea in B. calido per biduum naturale in Aquam claram dissolutam.

Quemadmodum sal Harmoniacum addidere Menstruis mineralibus simplicibus ita etiam eisdem Compositis.

148. Menstruum fætens lunare sale Harmoniaco Vegetabili acuatam Lullii,

Cap. 14. Practicæ Test. major. Pag. 163. Vol. 4. Th. Chym.

R. **I**N virtute A. (*Dei*) unam unciam Aquæ compositæ Argenti (*sub No. 141. descriptæ*) per alembicum destillatæ, & in illam projice unciam unam de G. vegetabili (*mercurio vel sale harmoniaco*) dissolve, &c.

Basiliius Menstrua hæc ita commiscuit.

149. Spiritus Mercurii ex Vitriolo & spiritu vini igneo mixtus Basilii,

Labore 3. libri Revelat.

R. **O**Lei hujus (*primæ materiæ Metallorum ex Venere & Marte confectæ, sive spiritus Mercurii universalis sub No. 132. descripti*) uncias octo, spiritus vini ad summum rectificati (*Menstrui sub No. 19. descripti*) uncias quinque, destilla per Retortam vitream & hoc ter, semper cum novo spiritu, ita ut ad olei uncias octo conjungantur quindecim uncias spiritus Vini ignei.

Para-

Paracelsus sequens Menstruum mixtum confecit pro Arcano Lapidis vel Antimonii.

150. Menstruum mixtum Paracelsi,
Cap. 6. Lib. X. Archidox. Pag. 39.

QUicumque metallicum suum Cœlum (*Antimonium*) ad summum gradare cupit, & in actum reducere, ipse debet primo ex vita, id est, Mercurio vulgi, primum Ens liquidum, cœlestem Ignem, quintam Essentiam Mercurii (*non Solis; uti male legitur*) & acerrimum Acetum metallicum (*Circulatum majus Paracelsi sub No. 51. descriptum*) extrahere, per solutionem cum sua matre, id est, Arcano salis (*sale circulato sub No. 27.*) & cum stomacho Anthionis, id est, spiritu Vitrioli (*menstruum sub No. 98. descriptum*) permiscere, & in eo (*Menstruo mixto*) Mercurium Antimonii coagulatum (*Regulum Antimonii*) solvere digerere, &c.

Ex Receptis observamus,

1. *Menstrua hæc esse diversorum Menstruorum commixtiones.*
2. *Et fieri posse ex omnibus Menstruis Vegetabilibus & mineralibus invicem commixtis ad Artista placitum.*
3. *Eò meliora tamen fieri, quo Menstrua fuerint magis tingentia.*
4. *Menstrua hæc per digestionem fieri dulcia & pura Menstrua Vegetabilia.*